

DISPUTATIO POLITICA

De

FORMIS IMPERIORUM

ET

MONARCHÆ SEU REGIS  
CONSTITUTIONE.

P R Æ S I D E

M. MICHAELE O. WEXIONIO

Hist. & Pol. P. P. nec non pro tempore In  
spectore S. R. M. tis Stip. accuratissimo:

*Respondente,*

IOHANNE L. KLINGIO NERICIENSE

*S. R. & M. tis Stipendiario.*

In Regia, nova ac Præclara Academia

Aboënsi: ad diem 23. Nov. A. 1644.

horis & loco consuetis.

*Bodin. lib. vi. de Rep. c. 4.*

Unus est perniciofa; plurium adhuc peior;  
Totius vero populi periculofissima. Hisce a. omnib;  
detestabilior atq; nocentior ANARCHIA.

---

ABOÆ Petrus Wald/ Acad. Typog. 1644.

- |   |   |
|---|---|
| <p>Dn. Jacobo Rundele-<br/>sio Past: &amp; Præposito in<br/>Knistad/ impigerrimo.</p> <p>Dn. Zachariæ Joh. Past<br/>&amp; Præposito in Pärno/<br/>gravissimo.</p> <p>Dn. Joanni Busmon-<br/>tano Past. in Edzberg/<br/>meritissimo.</p> <p>Dn. Thomæ Palthe-<br/>nio Past: in Särnäck/<br/>Solertissimo.</p> <p>Dn. Georgio Rivole-<br/>nio Scholæ Orebroens.<br/>collegæ accuratiss. Præ-<br/>ceptoris meo quondam<br/>diligentiss. affini sva-<br/>vissimo.</p> | <p>Dn. Laur: Joh. Past. in<br/>Kräflinge / Patri meo<br/>chariss. omni observan-<br/>tia prosequendo,</p> <p>Dn. Benedicto Past. in<br/>Wijby/ honoratissimo.</p> <p>Dn. Benedicto Past. in<br/>Kjilen/ Attentissimo.</p> <p>Dn. Claudio Joh- S.<br/>R. M. tis in Territorio<br/>Wemboensi Prætori pru-<br/>denti, nutritio meo olim<br/>liberatiss. &amp; promptiss.<br/>fautori honorando.</p> <p>Dn. Nicolao Olai Syl-<br/>vio in Pärno/ Commi-<br/>nistro pervigili avun-<br/>culo meo dilecto.</p> |
|---|---|

Hanc Disp. Politicam debiti obsequij, hono-  
ris & affectus contestandi causa reveren-  
tèr inscribit & offert,

Johannes L. Klingius  
Respondens.

Prooemium.

**P**olitiam .i. e. certam rationem seu  
ordinem superiorum & inferiorum  
in regno consideraturi: Vinculum sc. il-  
lud per quod Resp. cohaeret; spiritumq;  
vitalem quem tot hominum millia tra-  
hant; nihil ipsa futura nisi onus & praeda  
si mens ista Imperij subtrahatur: Non  
incommodè Generalioribus & ipsa ma-  
teria, siue partibus minoribus & ma-  
joribus, pro instituti ratione, praecogni-  
tis; Ad ipsas REIP. SPECIES, &  
Membra, quæ vel imperant, vel parent  
& obadiunt digredimur.

Senec. 1. de  
clemente

Præsens itaq; Disputatio

1. De Imperiorum Formis, præ-  
rogativâ & mixtione.
2. De Monarchæ constitutione  
& inauguratione.

Instituatur. Omnipotens nobis ad sit  
suâ gratiâ, laboresq; vocationis ex alto  
secundet!

THESES I.

*Gen. 1. 26. e. 3, 16.* **I**mperiorum efficiens causa Universalis & prima est DEUS, qui in mundi exordio Domesticum instituit: De hinc populo suo *Rectores, Iudices, Duces, Reges & Imperatores* dedit. Intermedia & particularis constituens, homines heroici, ut *Nimrod Assyriorum, Cyrus Persarum: Alexand. M. Græcorum, Romulus & Iulius Caesar Romanorum, Magogus Svecorum, Dan Danorum*, etc. *Imperia constituerunt. Nec non REFORMATORES*; Sic GUSTAVUS I. Imperium & coronam *Sveco-Gothicam* electiva hereditariam facere meruit & novum q: Imperium constituit: Vel ad minimum ab exterorum Scorijs & Lolio perniciosissimo, quibus ultra Sesquiseculum *Patria* miserrimè infestata fuit, repurgando

do renovavit, Regiamq; dignitatem  
in suam familiam postliminio re-  
vocavit.

Ita & GUST. MAG. 2. certam  
*Imperij formam* cum Senatoribus &  
Consiliarijs suis prudentissimis me-  
ditando novis veluti fulcimentis so-  
lium firmavit atq; in omnem even-  
tum ( quousq; humana sagacitas  
prospicere queat ) Regimini provi-  
dit; ut neq; *Lycurgus* neq; *Solon*,  
neq; totus *Areopagitarum* senatus  
unquam salubriorem REGIMINIS  
FORMAM excogitare potuisset, quã  
posthuma illa GUSTAVI M. A. 1633.  
Holmiæ ab Ordinibus Regni rece-  
pta & approbata.

Aur.  
Regim.  
Form.  
Holmiæ  
1633. 17  
Jun.

*Internè* impellens *Imperiorum*  
*causa est naturale* cohabitandi & con-  
versandi desiderium: Non enim bo-  
num est homini esse solum; Natu-  
rã quippe animal gregabile est. *Ex-*  
*ternè* urgens est necessitas & indi-  
gentia; Nudus enim & inops homo  
mundum ingreditur, aliena ope &

Art. 1. Pol. 2.  
Gen. 2.  
v. 18.  
Alth. pol.  
c. 1. n. 4.

Cic. 3. de leg

necessitudine planè indigus: Quæ ordine & regimine carere nequit; prout cuilibet vel ad paucos dies turgoriosum suum in manib. famulorum absq; *Rectore* relinquenti liquebit. Unde lege *Perficâ*, defuncto Rege, cuiq; per 5. dies quicquid libuit facere licuit; ut sic Magistratum in pretio habere discerent. Et miserimus fuit ac perturbatus status cum Rex nullus esset in Israël.

Stob. Serm.  
42.

Judic. 17;  
18. 19. & c.

2. *Finis* ad quem omnia Imperia dirigenda; est *ut commodius & tutius in hoc mundo vivamus*: Et præcipuè ut *tranquillam degamus vitam in omni pietate & honestate*.

1. Tim. 2.  
v. 3.

3. *Materia* Imperiorum sive rerump. sunt ipsi homines, hominūq; societates, *minores & majores* cum rebus & operis communicabilibus. Et primum qdem civitatis ac Reip. Seminarium est *Conjugalis Societas*. Cum n. hominem crearet *Deus*, masculum & fæminam creavit: un-

Gen. 1.  
v. 27.

de

de ex benedictione <sup>iv</sup> ia creverunt ac multiplicati sunt & *Liberi* progenerati. Hinc filij filiaq; : *Hinc Generi & Affines* : *Hinc familiarum multiplicatio atq; vicinia*. Ex plurib. a. vicis eundem haurientib. fontem pagi constituti. Major deinde *Pagus* avertendi metus gratia, primo fossam, dehinc & murum, circumdans urbem fecit, quæ etiam quod plures consciscat vitas, CIVITAS appellata ( apud nostrates populum olim per centurias ex *Uplandorum hundrat & Fennorum Gata* patet) *urbium & pagorū plurium societas provincias* : Ex hisce continuatis *Dominatus, Ducatus, Principatus, Regna & Imperia* extiterunt. uti prolixius & elegantius à Bod. ostenditur.

IV. *Forma Imperiorum* in ipsa Eutaxia vel Harmonia, consociationis ratione sive ordine & unione inter *Imperantes & Obædientes* consistit. Quæ quoniam ex Imperantium nu-

Besold.  
Syn. Pol.  
præcog.  
Pag. 22.

Rev. Paulin  
Hist. Arct.  
l. 1, c. 21, & c.

Bod. meth.  
Hist. c. 6.

P. 310

Arniseus  
pol. c. 7.

mero maximam atq; præcipuam  
subit differentiam, hujus intuitu va-  
riæ *Rerump. Species* seu *Imperiorum*,  
ut veterum opiniones prætereamus  
(quæ apud Bod. & alios videantur.)  
TRES omninò celebrantur: aut  
enim *unus* summâ in omnes sibi sub-  
jectos fruitur potestate & *MONAR-*  
*CHIA* dicitur: aut plures summam  
potestatem obtinent & *Polyarchia*  
vocatur: Ex hisce vel pauciores &  
*optimatum regimen* sive *Aristocratia*  
oritur: vel totus populus aut ma-  
jor ejusdem pars summæ rerum præ-  
est, & status *Popularis* seu *Democratia*  
(aliàs strictè *Politia* sive *Resp.* nuncu-  
pata) exurgit. Plures modi, si hæc  
strictissimè sumantur, majestatici  
Imperij, nec mentis cogitatione  
percipi, nedum reipsâ dari poterunt,  
prout acutè, more suo, *Bodinus* dis-  
ferit: Nisi ex summo jure aliquid  
remittatur & temperamentum  
quoddam existat, quod tamen Bo-  
din<sup>9</sup>

Bod. l. 2. de  
Rep. c. 1.  
P. 310.

Althuf.  
Pol c. 39, n. 1

Meth. Hist.  
l. 6. p. 256.  
& de Rep.  
lib. 2. c. 1.



dinus omnino fieri posse negat, qua  
meritò in progressu videbimus?

V. Ut a. hæc commodius dicitur  
dicentur præcognoscendum in qb<sup>9</sup>  
potissimum summa illa potestas sita  
est: quam ex 5. notis dignosci supra  
laudatus *Scriptor Gallicus* afferit.

Primò, in summorum Magistratum  
constitutione. 2. In legum iussione seu datione &  
abrogatione. 3. In belli indictione & finitione,  
4. In extrema provocatione. 5. In vitæ ac necis  
potestate, ubi Lex facilitatem aut clementiam non  
continet.

Quæ (ut nunc cætera sum-  
mi Imperij capita à *Clapmaro* II. ab  
alijs plura recensita taceamus) cum  
uni & pluribus sive multis in summo  
gradu simul attribui nequeant; Di-  
ctæ etiam *Formæ* in uno Imperio eo-  
dem tempore sunt incompatibiles  
& impossibiles. Non secus atq; i-  
dem homo simul sanguineus & Me-  
lancholicus, Phlegmaticus & Cho-  
lericus, in excellenti gradu, esse non  
potest: *Succeffivè* a. vel simul in gra-  
dibus remissioribus ita ut unum ex-  
cellat, inveniri nihil prohibet. Imò

A 5 hoc

Bod. 1. r. de  
Rep. c. 10. &  
Meth. Hist.  
c. 6.

Arnold.  
Clap. de  
Arcan.  
Rerump. 1. r  
c. II. & seqq.

c. 39. n. 11. 12.  
13. 14. 15. 16.  
& 23.

hoc necessarium est, uti Aithullus  
doctè declarat.

VI. Exemplo res erit manife-  
stior; *Roma* exactis Regib. potestas  
creandorum Magistratum, feren-  
darum legum, belligerandi, jus pro-  
vocationis, vitæ & necis penes po-  
pulum erat, quod *Democratia* dicitur:  
In *Senatu* tamen & *Consulib.* partim  
*Aristocratia* partim ut & in Dictato-  
ribus, monarchiæ temperatura emi-  
cuit. In Venetorum Rep., quæ A-  
ristocratica est, *Senatus* sive  
Consilium magnum jura majestatis  
habet; *Dux* v. non *monarcha* est, sed  
ut *Princeps senatus*, temperamentum  
quoddam monarchiæ adjungit. In  
*Imperio Germanico* *Monarcha* videtur  
*Cæsar*, optimates sunt *Electores*, ple-  
bem cæteri status & civitates refe-  
runt. In nostro imperio, ne de ali-  
enis solliciti propria negligamus,  
*Monarchia* procul dubio est; ubi n.  
*Rex* ibi monarchia; & ubi unus so-  
lus ac sine socio est summus Magi-  
stra.

Alth. Pol.  
c. 39. n. 47.

Alth. Pol.  
c. 8.

Alth. c. 39.  
n. 4.

stratus, in subditos omnes, universos  
& singulos imperium cum admi-  
nistratione regni tenens, cujus no-  
mine omnia geruntur, ibi certè Mo-  
narchicus status eminet, quod de  
*Sveco-Gothico* imperio clarum est ex c. 2. Tit. de  
cap. 2. *Ronung; Baldf. Land; Eagen.* Jure Regio.  
Nec non *Forma Regiminis* & tota re-  
gni administratione. Hanc tamen  
*Monarchiam, Aristocratiam* optimè mu-  
nitam esse ex cap. 5. & 8. *Ronunga*  
*Baldfen* & *L. Aurea* regiminis formà  
alijsq; constat. Nec non & popu-  
li libertate confirmatã ac stabilitam  
ex recepta Comitiorum consuetu-  
dine, inibiq; suffragiorum jure & li-  
beris votis patet, addito articulo 7.

c. 4. *Ronung; Baldfen* & *L. L.*

VII. *Quaxam harum sive Forma-  
rum sive Specierum Reip. ad ministra-  
tionis cæteris præferenda, nec nova  
nec levis est controversia. Demo-  
cratie si modo sit moderatior, Otanes*  
apud Herodotum patrocিনatus est.  
Et svaderi videtur Primò, Quod

Herod. l. 30.  
Schönb:  
l. 5. c. 30.

notum. ut  
Repub. 1.6.  
c. 4.  
exoptatam in omnibꝫ æqualitatem  
introducatur, cum leges ibi sine ullo  
personarum respectu ferantur, cum  
omnes sint æquales. 2. Quod ea  
*Reip. Forma* ad naturæ leges proximè  
accedat; Natura n. nullum fecit *Re-*  
*gem*, nullum *divitem*, nullum *Ducem*,  
*Senatorem*, etc. Sed omnes æquè nu-  
dos in mundum produxit. 3. In hac  
*Reip. Formâ* nullus pessimis vitijs, a-  
varitiæ, calumniæ, concussionibus,  
arrogantiæ, ambitioni est locus ubi  
omnes sunt æquales, æquali honore,  
æqualibus divitijs gaudent omnes.  
*Lycurgus* namq; ut populare institu-  
eret Regimen, omnes obligationes  
& chirographa combussit, aurum  
& argentum relegavit, terram v. per  
sortem æqualiter inter omnes divi-  
sit. Sic ubi omnes æquales nulla  
esse invidia potuit. Atq; ita 4. fir-  
missima in hoc statu vigere potest  
amicitia, *Reip.* apprimè necessaria,  
quæ inter æquales & socialitèr vi-  
ventes commodissimè servatur.

5. Et

5. Et quod magis est in hoc statu *Democratice* excellentissimi viguerunt *Herois arte & Marte, Duces bellici, Icti & Oratores*; quod æmulatione potentiorum nullus ibi retardetur. vel impediatur. 6. Et vera hic demum videtur esse *Resp.* ubi omnia verè sunt publica, dum populus publicis bonis ipse fruitur: neq; in unius vel paucorum usum omnia convertuntur. 7. Quin etiam optima videtur esse *Reip. Forma* ubi Magistratus legib. obtemperat, subditi magistratibus: Quod in *Democratia*, ubi lex omnibus est superior, maximè servari videtur. 8. Et quod maximum est, *Libertati* hic stat<sup>o</sup> patriocinatur; cum popul<sup>o</sup> nemini subiectus ipsemet summam potestatem obtineat. 9. In hoc statu floruerunt Athenienses; floruerunt Romani; floruerunt jam aliquot seculis Helvetij, &c. Hæc ergo *Forma Reip.* cæteris præferenda videtur.

Plau.

VIII. Plausibilia quidem ista  
sunt, & imperito præsertim vulgo  
grata: verum ut instar tenuiorum,  
filorum & non secus ac araneorum  
telæ subtilia sunt: Ita etiam fragilia  
atq; si plena manu serio attrectes  
mox rumpuntur & evanescent.  
Primum n. quod spectat; Resp. 1. Æ-  
qualitatem imprudentibus videri  
bonam, non a. revera esse: Unde  
Legislator quidam importunè ro-  
gatus ut Democratiam seu statum  
popularem in patriam introduceret:  
Respondit, fac tu ipse periculum in tua domo.  
Prudenter innuens, cum familia sit  
Reip. quædam imago: ea v. nisi u-  
num sit caput & Servus Domino,  
ancilla matrifamilias, &c. fuerit æ-  
qualis perturbata erit & misera do-  
mus istius conditio: Remp. itaq; ex  
æqualitate minimè valere sed veluti  
morbo quodam laborare. 2. Neq;  
verum est quod natura omnes planè  
produxerit æquales: alium n. alijs  
prudentia; alium animi magnitu-  
dine

dine, alium robore. &c. prapolle-  
re experientia testatur. 3. Nec bo-  
norum æqualitas diuturna esse pote-  
rit, cum varijs casibus, industriâ vel  
desidiâ hujus diminuuntur, illjus<sup>o</sup>  
augentur; Nec ideò avaritia vel  
contentiones cessabunt, cum inter  
æquales sint frequentissimæ. 4. Ni-  
hil min<sup>o</sup> igitur quam firmiores red-  
det amicitias illa bonorum sive æ-  
qualitas sive communio: Cum de  
ijs sæpissimè controvertatur. 5. Ex-  
celluerunt hic magna ingenia; sed  
vel statum mutarunt; ut Pericles<sup>o</sup>  
apud Athenienses; Pelopidas & E-  
paminondas apud Thebanos; Ju-  
lius Cæsar apud Romanos<sup>o</sup>. Vel Pe-  
talismo & Ostracismo aliove prætextu in exilium  
missi vel aliàs perditii sunt. Ita Pausanias fame  
necatus; Themistocles in exilio mortuus, Aristi-  
des Justissimus Athenis pulsus. Rutilius, Metel-  
lus, Coriolanus, Scipiones, Cicero aliq; Romæ  
exules facti. 6. Quæ in regis aut magi-  
stratus sustentationem conferun-  
tur, non minus in populi usum ce-  
dunt quam si ipsi consumerent:

Pu-

gest.

Publica n. negotia gerens ex Publico est sustentandus. Regis a. officium, non modo dignitas sed & onus est. 7. Non minus in reliquis statib. leges à magistratibus servari: Nam inter bonos benè agier oportet. Probusq; Monarcha non indignum majestate regnantis reputat LLb<sup>o</sup> obligatum se profiteri .8. o Nulla major *Libertas* quam sub rege pio, ubi quis liberè ac tutò suis perfruitur. Ut elegantè Bod. 9. Cum floruerunt istæ resp. apparenter à populo, revera ab uno vel paucis, utpotè Menenio Agrip., Camillo, Papyrio, Fab: Max., Scip., Catone, Pomp. alijsvè Consulibus, Dictatore vel Senatu regebantur & dependebant. Patet proindè ea quæ pro hac *Reip. Forma* adduci solent comparative adeò firma non esse. Licet omnem Democratix speciem absolute non damnemus. Optimam n. Politiam omnibus proprietatib<sup>o</sup>

L. 4.  
C. de LL.

Reink. de  
reg. sec. &  
Eccl. l. 1. cl.  
l. c. 1. n. 25.

Re-



constare ait Polybius.

IX. Firmiora & plura in contrarium proferri possunt. 1. Est contra naturam; Quæ quosdam prudentiores & ad imperandum aptos quosdam hebetiores & ad obœdientium proniores facit. 2. In hoc statu nequissimi evehuntur & in precio sunt: Optimi spernuntur & conculcantur, teste Xenophonte, illorum quippe semper major numerus. Hinc Phocion cum aliquando intellexisset suum plebi Atheniensium probari consilium, sibi ipsi diffidit q: perperam quid protulisset quod vulgo placuisset 3. *Plato Democratiam mundinas* appellat ubi omnia venalia: quod plebs largitionibus, eloquentia, gratia, &c. facillimè corrumpatur, prout exemplis non paucis Græcorum & Romanorum, Bod. confirmat. 4. *Bestia multorum capitum*, quale vulgus omninò existit, quomodo prudenter gubernabitur,

Xenoph: de  
rep. Athen.

Bod. l. 6.  
c. 4. de rep.  
p. 939.

A

tur,

bit? 5. Ut multa paucis dicamus? Tanta multitudo, quomodo com-  
modè unum in locum ad consultan-  
dum convocabitur & confluet?  
Quomodo ordinem & constantiam  
servabit? Quomodo consultatio-  
nes secretæ erunt? Quomodo ex-  
peditiones festinantèr suscipientur?  
6. In Democratij officia & benefi-  
cia in indignos conferuntur: Cum  
tamen *Virtutis honos statum semper  
commendat.* At ejusmodi est illius  
status natura nec aliter conservari  
potest ut iterum pulchrè Xenophon,  
7. Omnium vitiorum impunitas  
hic viget; Cives n. plectendi non  
sunt, quod cives sint i. e. *Reguli.* Un-  
de apud Romanos nulli Magistratui  
Civem capitis condemnare licuit,  
imo ne verberare quidem. 8. Anar-  
chiæ proxima est hæc Imperij for-  
ma: ubi n. omnes regnant, nullus  
verè regnat. 9. Hinc tot motus tot  
seditiones, tot plebis secessiones &

Bod. cit.  
loco c. 4.  
p. 943.

Val. l. 8.  
c. 4.

sunt & cavendi qui sub vana spe libertatis vel melioris status plebem, contra legitimos magistratus, imò contra propria commoda instigare satagunt.

X. Pro Aristocratia pugnat Megabyzus apud eundem Herodotum. Nec pauca in eandem sententiam afferri possunt. 1. *Mediocritas ubiq; optima*: Sed pauci vel aliqui sunt medium inter omnes & unum. 2. *Digniorib. imperium est tribuendum*: Sed hi semper sunt pauciores, sive genus, sive divitias, sive virtutem. 3. *Quorum plus interest* salvam manere Remp. fidelius eandem administrant: At ditiorum majus est interesse. E; 4. *Difficile est inquit Plato* unum perfectè sapientem & bonum reperire: pluribus idcirco resp. est demandanda. 5. Nec aliter vel *Monarchia* vel *Democratia* quam per electum, id est, paucos regi possunt.

illi prævalentimum exitum sequatur. 6. Quod etiam *Megabyzus* ur-  
sit; ab optimis probatissimisque viris, opti-  
ma consilia pronunciantur. 7. Adde;  
velut multiplex funis simplici est  
fortior ac durabilior; Et quo plu-  
res manus eò facilius opus succe-  
dit: ita multorum unius concilio  
atque rectioni prævalent. Conf. *Ko-  
nunga styrelse* 1. *Balck.* p.6.

XI. Quæ rationum momenta  
quamvis haut leve pondus habeant:  
non desunt tamen quæ in contrari-  
um afferantur uti *Bod.* sæpè cit. lo-  
co ostendit. 1. *Medium non Rei sed  
Rationis* hic quærendum esse: aliàs  
n. sequeretur perpetuò variabilem  
ac mutabilem esse statum pro civi-  
um numero. Atque sic magnam  
Aristocratiam plures interdum ha-  
bituram dominos quam parvam  
Democratiam sequeretur. 2. Ar-  
gumentum magis pro Monar-  
chia facit: Nam inter digniores  
unus ferè semper est dignissimus.

3. Non minus tenuioribus sua facultates, uxores, liberi & lares & vita quam ditioribus preciosa sunt. Quod idem de Monarcha pariter valet. 4. Etiam à Bod. retorquetur: sc: non minus difficile futurum plures bonos, virtuosos & imperio dignos invenire. Reliqua argumenta sat firma agnoscuntur, modo unus sit qui omnia dirigat moderetur & exsequatur.

XII. Nihilominus contra Aristocratiam Bod. pugnat seqq: rationibus. 1. Quo pauciores *optimates* eò durabilior resp. ut Lacedemoniorum q̄ 30. Pharsalicorum q̄ 20. tantum habebant alijs diutius steterunt. Nam quo plura capita, eò plus disputationis & minus resolutionis inquit idem Bodinus. Unde *Venetijs* 12. tantum optimatib. negotia *Status* committuntur: Ut eò commodius in secreto habeantur., quod haut parum interest. 2. Aristocratiam plebi semp̄ in vidiosam esse

Bod. cit. loco p. 966.

Sal. de Bel-  
lo Catil.

esse Bod. ibidem copiosè deducit,  
Et concordat Salustius his verbis;  
Semper in civitate quibus nullæ o-  
pes Bonis invident, *malos* extollunt,  
vetera odere, nova exoptant, &c.  
Difficilius n. Optimates se contra  
ejusmodi insultus defendunt: quod  
ubi plures sunt, eodem Bod. teste,  
semper sibi invicem diffidant. Quod  
a. Venetijs Aristocratia contra ple-  
bem diu asseratur, peculiari reme-  
dio ascribit; ubi & naturæ loci &  
pœpuli & prudentiæ dominantium  
& legibus hunc statum congruere,  
docet. Genuenſum etiam Aristo-  
cratiam collaudat propter sumam  
in senatoribus eligendis industriam.  
Quæ omnia suo loco relinquimus;  
*Aristocraticum certè statum Democra-  
tico utpotè tolerabiliorem, firmiorem ac  
durabiliorem preferendum putamus:  
Ne, quod Anacharsis de Atheniensibus ait,  
Sapientes decidenda proponant, sed Stulti  
adjudicent.*

Ter

XIII. *Tertia Reip. forma est Monarchia*, quam apud supra citatum *Herodotum* *Darius* Magis trucidatis commendavit & favente fortuna hinnitu equi obtinuit: Quam omnes qui accuratè de hac Quaestione scripserunt cæteris præstantiorè concludunt. Nihilominus tamen planè non desunt quæ etiam contra hanc obici possint. Ut 1. *Monarchiarum* seu *Regum* mutatio novis amicis, lib<sup>9</sup> & foederibus semper aliquid incommodi adfert. 2. *Dissidia de Electione*, vel ex *hereditaria successione* si plures æquè propinqui, vel minoris successor magna discrimina pariunt. 3. Et demum varia *Unius* vitia metuenda, tantò magis quanto à superiore vel æquali est securior. Sæpè n. antea optimi licentiâ inebriati pessimi evadunt.

Quæ quidem incommoda adeò levia non sunt, facilè tamen diluuntur & superioribus tolerabiliora esse ostenduntur. *Primum n. si ad*

Just. Hist.  
l. 1.  
Pet. Greg.  
l. 5. c. 3. de  
Rep.

Bod. cit.  
c. 4. li. 6.  
de Rep.

leges regni fundamentales, statuta & decreta majorum Electio revocetur maxima ex parte evanescent. Praesertim v., ut & secundum, per successionem omnino evacuetur. Imò etiam in Electivo regno non sunt tot certamina quot in Polyarchijs de magistratuum electionibus. Tertium sedulâ institutione & piâ Divini numinis invocatione, quantum fieri potest, avertendum; cetera omnipotenti committenda. Neq; tamen minus eadem vitia in multis quam in uno, locum inventura credendum.

XIV. Longè majora sunt atq; ponderosiora quæ Monarchiam commendabilem faciunt. 1. Ipsa natura naturans; Unus n. est Deus qui regit omnia. 2. Natura naturata cum macrocosmi; in coelo unum est luminare princeps Sol. Bruta etiâ sociabilia; ut apes, grues, oves, &c. Unum non multos reges sive duces eligunt & amant. 3. Tum Microcosmi: Una anima vitalibus actionibus præest. Unum caput inter corporis partes

emi



eminet. 4. *Deus ipse unum* Judicem  
 simul, unum ducem, unum regem,  
 populo suo præposuit. 5. Huc *æco-*  
*nomia*, reip. imago, facit; ubi *unum*  
*caput* sc. *paterfamilias* requiritur; *Et*  
*indulgentia paterna regie pietati non ab-*  
*similis præcipuè excellit.* 6. Omnium  
 ferè gentium mos & prima consue-  
 tudo idem confirmant. 7. Ut ut plu-  
 res consilia suggerant, *unus tamen*  
*concludet*: aliàs se invicem, non se-  
 cus ac plures eandem navim, currũ  
 vel rhedam gubernantes, quamvis  
 prudentissimi, impedient. 8. Quia  
 hæc maximè *ad unitatem accedit*, quod  
*firmitatis & constantia est indicium.* 9.  
*Majestas non nisi in Monarchia verè*  
 elucet. Hinc & *Romani* in angu-  
 stijs & extremis *Dictatorem unum An-*  
*choram*, numen & *hostium terrorem*, ut  
 ait *Livius* crearunt. 10. *Monarchia*  
 etiam *cæteris rebuspub. durabiliores*  
 fuere, prout *historia loquuntur.*

Livius.

XV. *Brevitè itaq; sic concludimus* Tholos. l. 5.  
 2. *Quamvis reip. formam absolutè spectatam,* de rep. c. 30  
 B 5 & si

patrit. de. & n legitimo stet talo ad publicum bonum dire-  
Rep. lib. 1. Etā laudabilem esse. Verum in hāc corrupta  
Tit. 3. natura ut nullum purum elementum, nullum pu-  
Alth. pol. rum temperamentum; ita nec ulla reip. forma  
e. 39. n. 15. purè simplex per omnia laudabilis & permanens  
&c. inveniri potest.

Theod. 2. Comparativè unamquamq; sua ha-  
Reinking: berè commoda & prærogativas: habere etiam  
de reg. Sec. sua onera & difficultates. Democratia liberta-  
& Eccl. l. 1. tem & æqualitatem asserit: Sed incommoda eius-  
c. 1. n. 16. dem vidimus perperua. Aristocratia virtutem  
& optima consilia lectatur: sed dissensionibus ac  
turbis etiam obnoxia est. Monarchiæ facilior  
commodiorq; est administratio, maior firmitas  
& gratia: licet hic tyrannis metuenda & con-  
iurationes insidiarq; non rarò infestent.

Bodin. & 3. Monarchiam tamen pluribus & ma-  
Tholoz. ioribus præluere commoditatibus; at minoribus  
loc, cit. ac levioribus difficultatibus laborare.

4. Variorum interim populorum ac cir-  
cumstantiarum ratione aliam alii præferendam  
observatur. Sic Ægyptii non potuerunt esse  
sine rege: Athenienses non potuerunt Monar-  
chiam pati.

Dan. offo. 5. Ast palmam omnibus præripere sta-  
de iur pub. tum contemperatum seu non nihil mixtum. Hic  
e. 7. & rex ab insidiis & subditi ab oppressione atq;  
violentia tutiores; Dum simul monarchiæ maie-  
stas, optimatum authoritas & populi libertas as-  
feritur.

XVI. *Gaudeamus itaq; & gratule-  
mur nobis nostraq; patria dulcissima, quod*

eum videamus STATUM qui omnissim-  
tutissimus habetur; Ubi hujus vel illj<sup>9</sup>  
formæ commoda inveniuntur, in-  
commoda optimè præveniuntur &  
avertuntur. Libertatem Comitiam  
ibiq; consveta communicatio & delibe-  
ratio cum suffragiorum juribus (præ qui-  
bus Romanorum focii tam diu bella gesserunt)  
& magistratum participatio asse-  
runt. Optima atq; saluberrima  
consilia Ephori & optimates regni non  
sine auctoritate suppeditant, quibus  
administratio maxima ex parte  
committitur. Majestatem & sum-  
mum imperium sine socio S. R. M. tes obti-  
net. Hinc fit ut omnia regni mem-  
bra præsentem statum ament eumq;  
incolumen durare discupiant: quod  
optimæ reip. signum æstimatur.  
Unde quam diu Populo libertas, o-  
ptimatibus auctoritas, S. R. M. ti  
majestas manserit; Tandiu etiã  
resp. firma & ab omni externa  
violentiã atq; fraudibus divino  
auxi-

Bod. meth.  
Hist. c. 6.

cap. 4.  
Kong.  
B. L. P.

Alth. polit.  
c. 24. n. 42.  
Arcan:  
Manifest.

auxilio, *inconcussa manebit*. Sin  
ullum horum labefactetur; *Status*  
simul inclinabit & corruet: *Quod*  
*usq; ad universalis machinae dissolutionem*  
*ut differatur, devotè exoptamus!*

XVII. Mixturam formarum re-  
rum pub. qd attinet; non putam<sup>9</sup> i.  
Ita misceri & comunicari posse *jura*  
*majestatis ut duob<sup>9</sup> vel trib<sup>9</sup> ejusdē reip.*  
*statib<sup>9</sup> simul equaliter communicentur,*  
Ceu th. s. sup. inuim<sup>9</sup>: Sic n. qd absur-  
dū æquale utrinq; cōstitueretur im-  
periū & omnis jubēdi atq; obœdien-  
di ratio exspiraret. Neq; 2. *Ubi i-*  
*dem jus Majestatis pluribus divisim, sed*  
*alio atq; alio modo communicatur.* Nam  
*vera Majestas* in uno tantum esse po-  
test, in alijs v. saltem umbra. Sed  
3. *Cum jura majestatis separantur ac*  
*diversa diversis tribuuntur statibus*  
*vera est mixtio: Ut, si Rex tributa*  
*imperet, bellum gerat, monetam*  
*culdat, &c. Senatus judicijs præsit;*  
*populus Magistratus creet & Æra-*  
rij

Arnifæ.  
c. 8. de rep.

onem dari non absurdum videtur, maxime cum exempla hoc ipsum confirmet: ut reip. Laconice apud Justin. Et Besoldus statum itidem mixtum agnoscit ubi majestas illius fundamentalibus non quoad constitutionem solum, sed & ratione administrationis coarctatur: certæq; imperandi præscriptæ sunt leges. Verum quæ resp. fit mixta non tam in Scholis, quam Comitibus, Regum & P. pum Secretioribus conciliis est disceptandum: Eodem notante Besoldo. Observandum etiam mixtionem quandam esse apparentem, ubi propter consiliorum authoritatem & populi conventus resp. creditur mixta; Cum tamen levis ejusmodi temperatura veram mixtionem non faciat. Pro ut de Gall. Hisp. & Angl. regnis Arnisæus disputat.

XVIII. *Quæri hic potest an receptam Reip formam mutare consultum sit?* Respond. Quæ à majoribus utilitèr ad nos sunt transmissa varia-

Justin. l. 2.  
Bes Synop.  
pol. c. 9. de  
stat. reip.  
mixt. n. 14.

ibid. n. 5.

vid. R. D.  
Jon. M.  
VVex,

re

gnis mutationem svadeat utilitas;  
& omnium quorum interest con-  
sensus accedat, non abnuimus. Atq;  
hæc pro renata, de veris Imperio-  
rum formis *Monarchia* sive *Regno* ubi  
unius summa potestas ad commune  
bonum & publicam subditorum  
salutem potissimum dirigitur, *Ari-  
stocratia* ubi minor civium pars ad o-  
mnium salutem imperat, nec non  
*Democratia* ubi omnes cives æqua-  
liter ex legum præscripto pro com-  
modis omnium in medietate consu-  
lunt, quæ posteriores licet per unum  
vel paucos, omnium tamen nomine  
administrantur; prolapsas & vitio-  
sas, ut Tyrannidem *unius* vel pauco-  
rum *Holigarchiam* concives oppri-  
mentium vel universæ plebis impor-  
tunam licentiam Ochlocratiam di-  
ctam specialiter nunc non expendi-  
mus. *Monarchiam* v. præsertim  
temperatam, omnibus ceu commo-  
diorem, durabiliorem ac tutiorem  
pre-

*Regis sive Monarchæ constitutione breviter sequitur.*

XIX. Solent *Monarchæ* ordinariè vel per *Electionem* assumi ut olim apud nos; vel per *hereditariam successionem*, pro ut juxta *Unionem Arosiæ* An. 1544. in *initam* & *Decreto Norcopensi* An. 1604. repetitam, *Holmiæq;* An. 1627. & passim, inculcatam ac confirmatam nec non *Aur. Reg. Formæ* p. 2, citatam, evolutò proximè seculo in nostro imp. factitatum est. Uterq; hic constituendi modus *ordinarius* vocari solet: *Extraordinaria v. Regis constitutio* est cum populus pacto vel foedere aut jure belli, si ex legitima causa armis subigitur *deditionemq;* facit, victori se submittit. Sic olim *Romani Galij* multarum *terrarum Domini facti*, & nostra tempestate eodem jure *Livonia Ingriæq;* &c. *Regno Svecico accesserunt*,

XX. Inter ordinarios succedendi modos uter sit commodior *Successio*

Joan. M.  
Ol. M.  
c. Bong.  
D. L. L.

partem agitari solet. Electionem multi præferunt: 1. Quod optimum monstret atq; in honorem virtutis regnum ultro tribuat. 2. Quod plus benevolentie ex mutuo inter eligentes & electum favore concilietur. 3. Electio etiam libertatem tuetur & metas regnatura commodius præscribit.

XXI. Quibus omnibus suum quidem robur non denegamus; at perpetua esse & instantias non pati est quod inficiamur. 1. Enim quã sit universaliter verum exempla Abimelech, Ieroboami, Galba, &c. & apud nos Alberti Megap. Erci Pom. Christierni. 2. di, & sexcenta ejusmodi edocuerunt. Multi n. Imperio digni essent visi, nisi imperassent. 2. Ex electione non semper benevolentia; quin sæpius sibi refragantes ( omnes n. in unam personam rarò statim consentiunt ) inextinguibili odio *Electus* persequitur. At jucunda à teneris conversatio & mutua bene-

Tacit.  
1. Hist.



nevolentiam in hereditarijs cum a-  
te crescens firmiorem favorem gi-  
gnit. Conf. Konunga Styr. 1. B. Kon. Et  
sua hafwer of almoge thes mera farleef  
of godh willia til sin Kunung/ at the aru  
upfodde undi lydhno of wario Fadurs  
of Söráldra hans/ &c. 3. plus valo-  
ris habet; attamen persapè cum  
libertas undique nimis stricte urge-  
tur, urgendo amittitur.

XXII. Successionem itaq; po-  
tiores habemus. - Quamvis Obij-  
ciatur, 1. *Per hanc sapè indignos atq;  
ineptos obtrudi.* 2. *Fortunæ arbitrio  
rem committi ubi consilio esset opus.* 3.  
*Fraudibus fenestras patefieri* At ta-  
men R. 1. *Qui divinitus dantur  
indigni aut inepti non sunt vocitan-  
di.* *Bonos Principes voto expetamus,  
qualescunq; toleremus.* 2. Neq; ubi  
divina regit providentia, cœcus for-  
tunæ impetus locum habet. Et 3.  
Fraudes prudentibus consilijs præ-  
cavendæ: aliàs vel in *electione mu-  
nera, cognatio, gratia, &c. majores*

Tac. 4. Hist

Curt. l. i.  
Un. Hered.  
Aros. 1544.

res procedet. Insuper legitimam  
successione, 1. Sceptra Imperio-  
rum muniuntur. *Orbitas n. sperni-  
tur.* 2. Diffidia de electionibus fre-  
quentissima, unde bella & vastatio-  
nes, tolluntur. 3. *Rex* majori soli-  
citudine regnum curabit qui liberis  
se id relicturum certò cognovit.  
4. *Reges* futuri ab incunabulis in  
hanc spem educantur & imperij ha-  
benis aptiores fiunt. 5. Major item  
eorum autoritas minorq; invidia,  
qui in cunis jam adorari cæperunt,  
Quàm qui subito ex privatis eve-  
huntur. 6. *Successio* in populo Dei,  
apud antiquos Romanos, Ægyptios,  
*Persas, Medos, Assyrios, &c.* Etiamnum  
*Gallis, Anglis, Gothis, Hispanis, Moscho-  
vitis* omnibusq; *Germania principibus*  
adhuc est in usu. 7. Præcipua ratio  
est; *minori discrimine Rex sumitur,*  
*quam queritur.* Rectè igitur Kong.  
Sthr. The land áru sáll/ of liwa medh  
fridh of frälse/ ther Kunung hawa ápte  
árfda ráf, etc.

Tac.

Kong. St  
I. B. p. II.

Ele.

XXIII. *Electio delect.* 1. *Liberrima* eu liberi voti, cum ex quavis gente aut nationes Regem eligere licet: sicut quondam Romani, Sveci, Poloni & alij hac libertate usi leguntur. Hi tamen postremi ad præcavendam inter cives æmulationem indigenas ab imperio excludunt. Vel, 2. *Astricta*; aut ad certum hominum genus; ut Judæis non licuit alienigenam Regem eligere. Germanis, à temporibus Ottonis. 3. Non nisi Germanum. Suecis leges Svecanæ recentiores Svecum prædefiniunt. Aut ad certam familiam: ita & olim Sveones ferè non nisi ex familia regia Gubernatores ac Reges assumpserunt. A temporibus *S. Erici* ex ejus & *Svercheri* senioris familijs usq; ad *Ericum Balbum* Reges alternè sunt electi: Cui demortuo *Valdemarus* ex Sorore nepos surrogatus, Fratrem & nepotes usq; ad *Albertum* successores habuit. Et *Imp. Germanicum* ultra seculum in domo *Austriaca*, licet

Schonb.  
 pol. l. i. c. 2.  
 & 3.

*Deut.* 17.  
 v. 25.  
 §. 1. c. 3.  
*Ron. B.*  
 L. L.

cum protestatione, continuavit.  
*Regnumq; Dania jam per annos 196.*  
*familia Comitum Oldenburgensium*  
*adhæsit.*

XXIII. In electione 1. *Genus*  
*Spektandum;* cum ex meliorib<sup>9</sup> me-  
liores nasci soleant & humiles in-  
altum elati asperrimi frequenter  
evadant. 2. *Extranei non facilè ad-*  
*mittendi;* Solent n. novis moribus,  
peregrinis legibus & exotico satel-  
litio intolerabilia damna accerse-  
re. 3. *Nec macula aliqua laborantes*  
*assumendi:* Cum tātum fastidium id  
dedeceat.

Adm. Rev.  
Paulin.  
Hist. Arct.  
li. I, c. 36.

XXV. *In Successione Regionis cu-*  
*jusq; leges Spektanda.* Apud nos unio  
hereditaria, decret. Norcopen. &  
Holmen. An. 1627. sup: cit: strictè ob-  
servantur: Ubi etiam, masculis non  
exstantibus fæmineus sexus haut  
excluditur, prout hodierna dies<sup>9</sup>  
summâ omnium subditorum cum  
gratulatione nobis est exemplo.  
Et quamvis *defuncto Antecessore Suc-*  
*ces-*

cessio ad proximum nec eadem ipso  
re devolvatur: Majoris tamen fa-  
voris & benevolentiae causa velut  
electio quaedam vel potius approba-  
tio subditorum adhiberi solet. An. Christ.

Prout exempla *Erici 14. Patri Gustavo* 1561.  
*1. Et moderna Regina nostra Victoriosis-* 1633.  
*sime ostendunt.*

XXVI. Quod si minorennis  
Successor fuerit, tutores constituen-  
di, quos leges & statuta decernunt.  
Et quidem apud nos, 5. *Summo-*

*rum Collegiorum Praesides: R E-* Aur. Reg.  
*GNI, nimirum Archidapifer,* For. a.  
Marscus, Ammiralis, Cancel-  
larius & Thesaurarius. p. 29.

Qui  
quanta curâ, quanta prudentia, dex-  
teritate ac felicitate. 12. Jam annû  
S. R. M. tis tutelam gesserint, totus  
orbis stupet, subditi humilimis a-  
gnosimus congratulationibus &  
grata æternum posteritas concele-  
brabit. An: demum atatis, 18. Impe-  
rij habena pupillo committi atq; tutela

Aur: Bull.  
c. 4.

*cessare solet.* Id in principum Germ.  
Electorum filijs observatur. Et  
Decreto Nor: decisum atq; Nycop.  
ulterius declaratum & superioris  
anni comitijs comprobatum est.  
Hac ætate, An. sc. 18. completo, Rex  
Svec. Magnus 3. Regnum ipse ad-  
ministrare capit & Upsalia coronatus est.  
An. 18. non dum completo  
fasces imperij GUSTAVO M. una-  
nimi ordinum consensu felicissimè  
concrediti sunt. Et jam jam S. Re-  
ginae, utinam auspiciatò! de man-  
dantur.

Au. Christ.  
1328.

An. 1611.

Post Alth.  
Hœn. Dissp  
Pol. . h. 3.  
4. & 5.

XXVII. *Rex ita legitimè designa-  
tus juramento subditis ultro citroq; ad-  
stringitur.* Deo quidem omnes  
Magistratus ad gloriam Dei guber-  
nationem se directurum & subdi-  
torum communemq; utilitatem ac  
honestatem purè promittit. Deus  
Successum & benedictionem; Sub-  
diti obœdientiam conditionalitèr  
repromittunt. Præstito juramen-  
to Rex jam pro legitimo Rege habe-  
tur

tur & jura Majestatis obtinet: PRO ut  
ll. Svecanæ expresse de decernunt.

Reinh. B  
L. L.

**XXVIII.** An verò juramenti praestatio Majestatem aliquo modo offuscet aut evacuet? disputari solet. Affirmant Bod. & Arn. nos cum Rein. & alijs negamus. 1. Quod n. aliorum piorum Regum Dignitatem atq; majestatem non diminuit, id neq; nostrorum Regum eminentiam tollere aut exinanire potest. 2. Imò & Salvator ac Deus ipse juramento se astringere majestate sua haud indignum judicavit. 3. Et Tyrannicum esset alios obligare velle, in nullo verò ipse obligari. Qui n. cogitat servare, non detrectat jurare. Juramentum igitur nihil contra regiam dignitatem. Multiplicem v. habet utilitatē ac necessitatē, ut doctè Reink. probat, idcoq; nullaten<sup>o</sup> intermittendū.

Reinh. de  
Reg. Sec. l. 1  
cl. 1. c. 8.

**XXIX.** Constitutionem sequi solet inauguratio seu coronatio: quæ nihil aliud est quam Solennis constitutionis declaratio ideoq; nec absolutè necessaria. Non n. ideo Rex est

Alth. c. 19.  
n. 93.

quia coronatur. Sed ideo coronatur quia  
Rex est. Utq; Regi Gallia Rhemen-  
sis Archiepiscopus, Poloniae Cne-  
snensis Arch: Bohemiae Pragensis  
Coronam imponit; Imp. Germ: ab  
Archiepiscopo Coloniensi inauguratur:  
Ita Regem Svec. Ubsaliensis Archiepisco-  
pus (unde pontificio legato Franci-  
sco de mala spina Sigismundum inau-  
gurare non licuit) & quidem Ubsalia  
ungere atq; coronationem expedire  
consequitur.

XXX. Actus inaugurationis, qui  
suis non caret mysterijs, Essentialibus  
& Accidentalibus absolvitur. Essen-  
tialia ad tria revocantur. 1. Unctio-  
nem, quæ oleo fit. 2. Insignium tradi-  
tionem, quæ varia sunt, notante Alth; u-  
sitatiora, etiam in nostro regno sex  
observantur: 1. Amiculum seu palli-  
um quod est toga auro gemmisq; nitens,  
Imperij dignitatem significans, quæ  
Regi per Archiepiscopum & duos  
Senatores circumdatur. Priscis Im-  
ppb<sup>9</sup>: Rom: paludamentum dice-  
batur

Dan.  
Ott. ur:  
pub. c. 10.  
Aur.  
Bull. c. 4.  
1594.

Alth. pol.  
c. 19. n. 94.



batur. II. *Corona*, quæ & alias *Dia-*  
*dema*, *Tiara* & *infula* vocitatur, ex  
purissimo auro capiti imponitur..

III. *Sceptrum* regni atq; Imperij in-  
signe & regie dignitatis apud o-  
mnes gentes signum antiquissimum  
traditur. IV. *Pomum*,

Aureus ille glouspomum vel palla vocatur,

Unde figuratum mundum gestare putatur, &c.

V. *Clavis*, sum manuararij & bo-  
norum publicorum potestatem,  
procul dubio, denotans exhibetur.

VI. *Ensis*, addita iugulis conveni-  
enti præcatione & voto offertur;

Judicii signum gladius monstrare videtur.

Quo malefactorum feritas cessare iubetur, &c.

3. *Iuramentum*, quod regni *Cancella-*  
*rius* recitat, hic præstandum venit.

Et isthæc coronationis ipsius essentialia  
dici possunt. Accidentalibus sunt,

*processiones*, *acclamationes*, ut *VIVAT*

*ET FLOREAT REX IN PERPE-*

*TUUM!* alijsq; varijs modis: & *reces-*

*siones*. Quæ omnia in regum Sue-

*cie* coronationibus tanta pompa,

Viterb:

Godefr. vi-  
te. b. lib. 19.  
vid. Dan.  
Ott. iur.  
pub. c. 10.

Monarch.  
pac. part. 1.  
lect. 3. c. 5.

Dan. Otto:  
iur. pub.  
c. 10.  
Konung.  
B. 2. 2.  
c. 6.

tantis solennitatibus tantaq; devo-  
tione peraguntur, ut exteris nulla-  
tenus cedant. Prout Admodum  
Rev: D. Paulin. graphicè depingit.  
XXXI, Ritibus hisce peractis,  
*Corvivium* seu *Dieta* celebratur, mu-  
nera sparguntur, vinum funditur,  
&c. Atq; deinceps ab *Imp: Germ: ex-*  
*peditio Romana* der *Kommerzug* / iusci-  
pitur, cujus origo à Carolo M. repe-  
tenda: A novo rege *Svec: expeditio*  
sive profectio *Ericæa* institui solet,  
quâ regnum obeundo homagium  
recipit & fidelitatem subditis con-  
firmat ut omnes intelligere possint  
se non in durioris Domini sed per-  
benigni parentis potestatem incidis-  
se. Unum hic, coronidis loco non  
incompetenter quæri potest: *An*  
*propter novi Regis inaugurationem reis*  
*& maleficis impunitas criminis sit conce-*  
*denda?* Resp. Dist: inter crimina  
*majora & graviora*, quibus humana  
societas læditur atq; divellitur quæq;  
lege Dei sunt capitalia: *Et leviora*  
seu

seu *minora* delicta: hæc pro arbitrio *Exod. 21,*  
condonari posse; illa v. contra ex- *v. 14.*  
pressum Dei verbum à nemine mor- *Num. 35,*  
taliū rectè remitti statuimus. *v. 31.*  
Vid. Heig: part. 2. quæst. 24. n. 33. & *1. Sam. 15*  
seqq. *v. 3, & 18.*

XXXII. Sic fuit *constitutio sum-*  
*mi Magistratus* cum suis antecedenti- *3, Reg. 20*  
bus & concomitantibus: Sequun- *v. 42.*  
tur ejusdem contraria brevissimè,  
nimirum, 1. *Abdicatio*, cum sponte  
imperio renuntiatur, quòd vel per  
senectutem, morbum vel aliam cau-  
sam diutius præesse aut nolit, aut nò  
possit. Quod *Diocletianus* & *Maxi-*  
*milianus* fecerunt. Nec non *Carolus*  
v. imp: fratrem *Ferdinandum* 1. sub- *An. Ch. 304*  
stituens imperio renuntiavit. 2. *De-* *An. Christ.*  
*positio*, quâ *Rex* vel *Imperator* contra *1556*  
voluntatem suam *Diademate* priva- *Sleid. fin.*  
tur. Ut *Henrico* 4. & *Ottoni* 4. to, nec *Hist.*  
non *Adolpho Nassovio* & *Wenceslao Ca-*  
*roli* 4. filio contigit. Pari modo è so- *A. Ch. 1277.*  
lio *Suec. R. Waldemar*us; *Ericus* 14.  
& *Sigismundus*, &c. deturbati sunt, Hic  
no.

Alth.  
pol. c:38.  
Reink.  
de reg. sec.  
l.1. cl. 1, c. 5.

notandum, privatis nullatenus i-  
citur esse ordinario Magistratui  
resistere; *Correctionem* v. aut *remotione*  
per optimates atq; Ephoros regni &  
quidem eo cum moderamine quale  
Alth: & Reink: præscribunt, fieri  
debere. *Defensive* potius quàm  
*offensive* agendum; Et scuto potius  
quam gladio utendum. Nec nisi  
*leges fundamentales* & *fidem datam* in-  
fanabiliter violans est violandus.  
ut dicti Authores fusius; quos omni-  
nò vide.

*Stet, precòr Imperium Svecis, stet fir-  
ma Corona,*  
*Rem Svecã crescat crescere quisq; cupit!*

---

## COROLLARIA

1. **I**mperijs suos esse *Angelos seu Ge-  
nios ex Dan:c.10. concluditur.*
2. *Nullum imperium munda-  
num est æternum.*

*Cau.*

3. *Causa mutationum & ruinarum Imperiorum non Fatum Ethnicum, nō sydera, non Numeri; sed Deus, hominumq; mores & consilia.*
4. *Hinc de conversionibus & ruinis rerump. prasagia minimè vana ex prudentiâ civili peti possunt.*
5. *Mediocria imperia sive Resp. maximè firmæ & stabiles. Boter: de Polit: Illust. lib. 1. c. 6.*
6. *Succesor antecessoris Contractus servare tenetur.*
7. *Femineus sexus imperij planè non incapax est.*



Literis & virtute Ornatissimo

*Dn.* JOHANNI KLINGIO  
De Formis Imperiorum seu Monarchæ  
& Regis constitutione *Publicè Dispu-*  
*tanti, amico & conterraneo Dilecto &c.*

**B**lest is hee, mij KLINGI, whose  
heart,

Doth in the Lord remaine:

That with the proude doeth tasie no  
part,

Nor such as lye and faine.

For, Lord, wr God, thy wondrous  
deedes,

In greatnesse farre doe passe,

Thy fauour towards us excedes,

All thinges that euer was.

*benevolèf.*

ERICUS ACHRELIUS  
Medicinæ P. P.

*Orna-*

**Dn.** JOHANNI KLINGIO,  
artium humanarum Studioſo perinduſtrio,  
discipulo ſuo dilecto. *De Formis Rerumpu-*  
*blicarum, & Monarche conſtitutione do-*  
*ctè differenti.*

**P***reſide præclaro, quid ſit Reſpublica monſtras,*  
*Atq; undè exortum traxerit illa ſuum.*  
*Illius & Formas varias depingere noſti,*  
*Nominaq; illarum pulchra referre potes.*  
*Diſſeris hinc, Klingi perdoctâ palladis arte,*  
*Regem quæ faciunt, riteq; conſtituant.*  
*Pergito ſic Jannes ſtudijs in cubere rectis*  
*Pramia virtutis, culta Minerva dabit.*

Hæc paucula appoſuit:  
**NICOLAUS L. NTCOP.**  
*Log. & Poëſ. Prof. & Facul:*  
*Phil. p. t. Decanus.*

---

**I***n te ſuſcipias cum Reſpondentis honores,*  
*Sympatriota, tuâ laude carere nequis,*  
*Ordine diſquiris, quibus eſt Reſpublica formis.*  
*Viribus ac validis ritè gerenda ſuis,*  
**Hoc opus, hic labor eſt: Regimen monſtrare ſalubre,**  
**In quo Reſ patriæ Publica ſalva manet.**

*Celeri approperabam crenâ*  
**Petrus Petri Torpenſis**  
*Fac. Phil. Adjunctus*

*SI tibi prout cepit, pergit lucescere Phab<sup>9</sup>,  
Non dubium, quin ager fertilis, ingenij  
Confert, ille tuus f uctu. feliciter amplos,  
Semina prolifica Et non peritura diu.  
Id fit dum studiū Musis impendis amānis,  
Quod facis haud segnis, sed probus atq;  
solers.*

*Hoc, quem, sub claro, divulgas atq; tueris  
Præsīde, discursus, comprobat egregia  
Gratulor ergò tibi, mi dilectissime Jannes,  
Conatusq; tuos, adjuvet, oro, Deus!  
Ut Mecanati gratus, percharus amicis,  
Et patriæ poteris, lumen Et esse decus.*

*Ex amore*

*more*

*ore*

*re*

*animitus adjecit*

*OLAUS I. NÆSANDER,*

*Sud.-Suecus.*

